





*A*  
1787, 1 12

KONFRIED  
UNIVERS.  
ZV HALLE

F R I D E R I C I H I R S C H

G O S L A R I E N S I S

C O M M E N T A T I O

D E

I V R E

E M I G R A T I O N E M C I V I V I

P R O H I B E N D I   V E L   C I R C U M S C R I B E N D I .

I N   C O N C E R T A T I O N E  
C I V I V M

A C A D E M I A E   G E O R G I A E   A V G V S T A E

I V . J U N I I   C I C C L X X X V I I

P R A E M I O   A   R E G E   M . B R I T A N N I A E   A V G .  
C O N S T I T U T O

A B   I V R E C O N S V L T O R V M   O R D I N E  
O R N A T A .

---

*Haec sunt fundamenta firmissima nostrae libertatis, sui quæcumque iuris et retinendi  
et dimittendi esse dominum.*

Cic.

G O T T I N G A E  
T Y P I S   J O A N N .   C H R I S T I A N .   D I E T E R I C H .  
A C A D .   T Y P O G R .

FRIEDERICI HIRSCHE

GOETZLICHEN

COMITATIS

DE

VARIA

EMENDATIONE CIVICAE

PROHIBENDI AVE CIVITATISCRIPSONI

IN CONCERTATIONE

CIVICARUM

CONFIRMATAE CONSTITUTIONE TANDEM

VI IUNII CONFIDEXXXXVII

TRALMIO A REGI MELITINIAE AVA

CONSTITUTIO

AB IARRECONSATORIUM ORDINE

ORNATA

THIS IS A LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT. IT IS LOANED TO YOU FOR YOUR USE.  
DO NOT LEND IT TO ANYONE ELSE.

GOTTLINGAE  
TYPIS IOANNI CHRISTIANI DIRITSICHI  
ACAD. Typograph.

## DELIN EAT I O O P V S C V L I .

### I. De Subiecto agitur (Cap. I.)

A. Generatim de ciuitate nonnulla memorantur (§ 1.)

B. Speciatim

1. De Imperante (§ 2.)

2. De Subditis

a) Generalia proponuntur (§ 3.)

b) Specialia

α) De subditis ciuibus

aa) Citra respectum ad diuersas ciuitatum formas (§ 4.)

bb) Respectu habito ad diuersas ciuitatum formas (§ 5.)

β) De subditis non ciuibus (§ 6.)

### II. De Obiecto, quod versatur in Iuribus et Obligationibus supremae potestatis circa emigrationem subitorum (Cap. II.)

A. Prior quaestio pars inquirit: subitorum emigrationem prohibere an et quatenus fas sit? (Sect. I.)

I. Citra respectum ad obligationes speciales quibus subiti obligari possunt (Tit. I.)

- a) Generatim quaedam exponuntur
  - a) de libertate hominum agendi (§ 7.)
  - β) de libertate subditorum in specie (§ 8.)
  
- b) Speciatim de libertate sociorum discedendi a societate,
  
- I. Sociorum in genere (§ 9.)
- II. Subditorum in specie (§ 10.) quorum respectu
  - A. praemissa notione emigrationis (§ 11.)
  - B. instituto elenco opinionum, quas habent primarii scriptores de iure emigrandi (§ 12.)
  
- AA. Generalia quaestio[n]is praemonentur (§ 13.)
- BB. Speciatim quaestio consideratur
  - I) statu Reip. ordinario (§ 14.) vbi
    - a) citra respectum ad normam pactitiam quae concernit emigrationem (§ 15.)
      - aa) ciuum
        - α) Imperanti denegatur ius ferendi legem qua prohibetur emigratio venia non impetrata (§ 16.)
        - αα) Rationes decidendi
          - aaa) Probari nequit tacitus ciuium consensus
      - I) neque ex pactis primaeuis ciuitatum, in primis ex pacto subiectionis (§ 17.)
      - 2) neque

DELINAEATIO OPVSCVL.

§

a) neque ex pacto quod quilibet ciuis et suprema  
potestas seorsim ineunt

a) citra omnem alium respectum (§ 18.)

b) respectu habitu ad

a) nativitatem (§ 19.)

b) possessionem agrorum aedificiorumque (§ 20)

c) commercium (§ 21.)

d) munera publica (§ 22.)

bbb) Contrarium potius patet ex more ciuium emi-  
grandi, qui magis firmatur Superiorum pollicita-  
tionibus cum perueniunt ad principatum (§ 23.)

ccc) Ciues quodammodo hominibus propriis similes  
redduntur (§ 24.)

ddd) Superior regimine se abdicare potest (§ 25.)

eee) Emigratio est quam minimum remedium, quo  
ciuis vtatur contra iniustam dominationem (§ 26.)

fff) Imperantem iis remediis vti oportet, quae opti-  
me conducent auertendae ciuium emigrationi (§ 27)

ggg) Ob difficultates quae cum executione legis, quae  
prohibet emigrationem, coniunctae sunt (§ 28.)

hhh) Florent ciuitates, quarum ciuibus vi legis ex-  
pressae emigratio integra est (§ 29.)

ββ) Rationes dubitandi (§ 30.)

i. Eorum qui absolute Imperanti ius tribuunt prohi-  
bendi emigrationem

aaa) ob nexum subiectionis publicae qui perpetuus  
esse dicitur (§ 31.)

bbb) quia ciuis perfecte obligatus fit, vt omnibus s.  
actionibus felicitatem ciuitatis augeat (§ 32.)

ccc) quia ciuis sine causa expelli nequeat (§ 33.)

ddd) ob ingratitudinem quam emigrans committeret  
(§ 34.)

2. Eorum, qui Imperanti nonnisi ius limitatum in  
prohibenda ciuium emigratione concedunt et quidem  
aaa) qui ratione habita ad iustam causam, qua ciues  
emigraturi muniti sunt, imperanti denegant ius iis  
interdicendi emigrationem (§ 35.)

bbb) qui ratione habita ad salutem publicam ius Im-  
peranti vindicant prohibendi emigrationem

aaa) Generatim (§ 36.)

βββ) Speciatim

aaaa) Gregatim discedentium (§ 37.)

bbbb) Diuitum (§ 38.)

cccc) In aliquo vitae genere alios antecellentium  
(§ 39.)

β) Imperare vt ciues emigrationem, quam parant, indicent  
fas esse contenditur (§ 40.)

bb) Incolarum s. subditorum non ciuum (§ 41.)

b) Si spectas ad normam pactitiam, quae concernit emigra-  
tionem subditorum

aa) vel

autem huius arbitrio aa) vel emigrandi libertas confirmata est <sup>admodum</sup> II.  
Hoc (12.) magistrorum monitione impeditum est  
aa) vel omnino (§ 42.)

<sup>(12)</sup> vel in certis solum casibus (§ 43.)

magistrorum arbitrio autem infraferme licet ut etiam  
bb) vel sublata <sup>(12)</sup>

<sup>(12)</sup> aa) vel tota (§ 44.)

<sup>(12)</sup> bb) vel ex parte (§ 45.)

2) Statu Reip. extraordinario, ubi subditorum emigrationem  
prohibere fas est (§ 46.)

i. Si respicis speciales obligations, quas subditi contrahant (Tit. II.)

I. Pactione inita

A. Generatim (§ 47.)

B. Speciatim munere suscepto (§ 48.)

II. Alio modo (§ 49.)

B. Posterior quaestionis pars disquirit: Subditorum emigrationem circum-  
scribere an et quatenus fas sit. Sect. II.

I. Generatim agitur de Iure supremae potestatis restringendi emigra-  
tionem subditorum (§ 50.)

CVP

II. Spe-

- II. Speciatim de iustis remediis, quibus suprema potestas uti potest  
ad circumscribendam emigrationem subditorum (§ 51.) veluti
1. Gabella emigrationis (§ 52.)
  2. Edicto ne ii, qui semel emigraverint, rursus recipiantur in civita-  
tem (§ 53.)
  3. Expellendis Speculatoribus et Emissariis (§ 54.)
  4. Optimo regimine (§ 55.)

CAP.

C A P. I.  
DE S V B I E C T O.

§. I.

**Q**VAMQVAM vnaquaeque ciuitas suam formam et constitutionem <sup>A. Generatim  
de ciuitatis  
nonnulla me-  
morantur,</sup> ita habet peculiarem, vt ea, quae de vna valeant, minime ad aliam quamque applicari possint, tamen, si latius circumspicias, mox deteguntur quaedam omnium ciuitatum communia, quae, posita quacunque ciuitate, ex earum communi natura et fine declaranda sunt.

Sic primum licet vniuerse de omnibus ciuitatibus affirmare, ipsas neque naturae neque immediatae summi Numinis voluntati, sed certis pactis fundamentalibus, vnionis, subiectionis et ordinationis sive expresse sive tacite initis suam debere legitimam existentiam. Deinde si spectas earum scopum, omnes id agunt, vt ciues consociati sub supraea quadam potestate beate i. e. securae et tranquille, quin etiam, quatenus natura ciuitatis patitur, libere viuant, quem scopum et illimitata supraea potestas agnoscit et agnoscere debet <sup>a)</sup>. Propriae enim salutis stabilienda et amplificandae cura est

<sup>a)</sup> Was ist aber der Endzweck einer unumschränkten Regierung? Nicht die Menschen ihrer natürlichen Freyheit zu berauben, sondern ihre Handlungen zur Erlangung der höchsten Glückseligkeit einzuleiten. Ita Catharina II. in der Instruktion für die zu Verfertigung des Entwurfs zu einem neuen Gesetzbuche verordnete Commission. Riga 1768. Cap. II. §. 13.

est vnica ratio, qua pernoti homines vitae mere naturali ciuilem et olim anteposuerunt et hodieque anteponunt. Quocirca beata ci-vium vita Superiori reipublicae proposita esse debet. Interim id probe obseruandum esse censeo, ideam felicitatis valde differre pro diuersitate hominum. Rudis enim homo ex libertatis naturalis statu in societatem ciuilem vix conditam se conferens iamiam terque quaterque beatum se sentit, dum modo non in viu rerum fuanarum turbetur, nec corpus ipsius laedatur; at alumnus ciuitatis excultae et perpolitae etiam in ea, quae vitae parent commoditates et oblectamenta, curas conferri vult. Mihi quidem respiciendum est in materia, quam pertracto, non ad eas ciuitates, quae adhuc in suis, vñ ita dicam, iacent incunabulis, sed ad eas, quae iam more maiorum, legibus scriptis, religione, artibus et doctrina cert, sicuti quam plurimae ciuitatum Europaearum, bene cultae sunt b).

INCUMBIT denique Supremae Potestati, vt ad finem propositum consequendum vtatur optimis mediis. In his vero ita procedendum est, vt, antequam progreddiatur ad duras leges condendas, secum reputet, an non monito, hortatione, consilio, auctoritate paterna eo, quo tendat, ciuium animos perducere possit. Cum enim his viis et rationibus aequa bene quin melius scopus quidam obtineatur, iniustum foret, ad extremam omnium rationem, legem scilicet, configere. Verum si contigerit (quod facile potest fieri), vt praeter legem nulla alia ratio satis efficax inueniri possit, leges tamen ita comparatae sint necesse est, vt non modo non aduerterentur iuribus ciuiuin ex pacis legitimis quaeſitis, verum etiam illa immortalia mutarique neficiā iura hominum humanaeque naturae, quae optimè conſpirant cum ciuitatum natura, farta tecta esse iubeant. Potestatem enim mere arbitrariam et ad nullas naturae leges adiſtrictam, quae ciuium vitam, libertatem, bona ceteraque quae cara habere solent, ne flocci quidem aſtimat, sed suae ambitioni ceterisque libidinibus

b) Societas constituta quidem gratia viuendi, existens autem bene vivendi gratia. Aristotelis Polit. Lib. I. Cap. II.

libidinibus subiicit, nunquam mortal is in mortalem exercebit iure. Quamquam eandem et olim per omnia quae effluxerunt secula exercitam esse, et hodieque etiam modo hic modo illic, certe ex parte, exerceri, constat; sed an iuste, alia est quaestio.

§. II.

PER Imperantem s. Superiorum intelligimus subiectum illud, in b. *Speciatim*  
quo residet potestas ciuilis; siue id sit populus ipse, siue senatus,  
<sup>1. De Imperante.</sup>  
siue monarcha. Fieri etiam potest, vt potestatem ipsam eiusue ex-  
ercitium diuisum vel commune inter se habeant harum personarum  
vel duae vel omnes, qua tamen de re hoc loco dicere non attinet.

§. III.

QVICVNQYE in ciuitate quadam commorantur (si modo excipias  
secundum ius gentium legatos eorumque comitatum) eo ipso quod  
sunt in ciuitate, subiecti sunt eius supremae potestati, nulla habita-  
ratione ordinis vel singularium iurum, quibus quisque praeditus  
est. Omnes communis nomine subditorum appellantur.

§. IV.

SED in omni fere republica subditi sunt diuersi generis, alii b. *Specia*  
subditi ciues s. primariae subiectionis, alii subditi non ciues s. secun-  
dariae subiectionis. Si quaerimus, in quo consistat jus ciuitatis et  
quo modo adquiratur, inuenimus, vtrumque in iure publico uni-  
versali ad amissim non posse determinari. Hoc enim agnoscit tan-  
tummodo unum modum, pactum puta cum ciuitate eiusue supre-  
ma potestate ineundum, quo adquiritur ciuitas, et ciuem definit  
*membrum ciuitatis.* „Nec possunt, vti recte obseruat Daniel Nettel-  
„bladt, Vir perillustris, certae qualitates secundum Ius publicum  
„vniuersale determinari, quae adesse debent, vt quis in numerum  
„ciuium recipi possit, c).

B 2

ENIM

c) Nettelbladt systema Elementare vniuersae iurisprudentiae naturalis.  
Edit. 4. §. 1188. pag. 419.

ENIMVERO cum obseruamus mores ciuitatum, indubitatum est, varias res seu causas animaduerti cum quibus necessario coniunctum sit ius ciuitatis, siue insit iis pactum tacitum, siue accedat expreſsum. Sed non expedit in cunctas inuestigare, sed in eas tantum, quae nisi in omnibus ciuitatibus, certe tamen in Germania, reperiuntur *d).* Versantur potissimum vel in eo quod quis natus est in rep., vel quod ciuiliter possidet agros aedificiaue, vel quod agit commercium, vel quod fungitur munere quodam publico.

QVOD si autem consideramus secundum ciuitatum mores, quoniam ciui proprium esse dicatur, in genere illud duntaxat affirmari potest, ciues arctiore vinculo cum ciuitate coniunctos singularibus iuribus frui, quibus subditos non ciues carere oporteat, at quoque illos paſsim pluribus obligationibus teneri.

SED nec illud omittendum est, naturam ciuis non mutari per singularem personarum ordinem in quem quilibet referatur, veluti nobilium, rusticorum, burgariorum rel. At ferui et homines proprii de mea quidem sententia in numero ciuium collocari vix possunt, quandoquidem iis paene ademita est facultas promouendi suam felicitatem tanquam necessarium finem omnium ciuium communem.

### §. V.

*ab Respectu  
adito ad si  
iuris ciuitat  
um formar*

OMNIS quidem differentia, quam diuersae rerumpublicarum formae ratione iurium, quibus vtitur suprema cuiusque ciuitatis potestas, forte efficiant, in ipso problemate proposito soluendo ex animi nostri iudicio est negligenda, quippe quarum nulla verae ciuitatum naturae et scopo, qui solūmodo iuribus ciuium naturalibus suos fines adsignat, quidquam detrahere vel addere potest; verum tamen ut nostrum subiectum recte noscamus, non possumus non paucis memorare, quantam vim habeant diversa

*d)* Vid. Joh. Jac. Moser von der Landeshoheit in Ansehung der Unterthänigen Personen und Vermögens. Cap. 4. pag. 32 sqq.

versa rerump. genera tum ad significatum tum ad iura ciuis. Id obseruare eo magis necessarium duximus, quod nobis videmur animaduertisse, scriptores aut notionem vni tantum rerump. formae conuenientem, aut nimis generalem de ciue tradidisse.

ALIA autem est ratio ciuiis reip. liberae, alia ciuiis monarchiae talis, in qua populus imperii partem haud faciat. Ille superbit suo ciuitatis iure, quod hic vix et ne vix quidem nouit; ille altiorum libertatis ciuilis gradum adscendit, dum nanciscitur ciuitatem, hic fortioribus vinculis vincitur; ille vtitur iuribus ciue dignis, iure suffragii, iure honorum, iure iudiciorum cet., hic pluribus obligationibus oneratur; vt breuibus me expediam, comparatio inter ciuem regii imperii et ciuem reip. liberae plane nulla institui potest. Aptius subditum illum quam ciuem nominare poteris e). Exempla mortuarum et viuentium ciuitatum optime euincunt ea quae asserui. Iura, quibus Graecia libera dum erat ciuem donabat, postquam Philippus et Alexander rerum potiti erant, ab eo inde tempore fracta et imminuta animaduertebantur f); item summum illud: *Ciuis Romanus sum* prodebat ciuem iuribus maximis et sanctissimis ornatum, sed solummodo quam diu stabat Romana libertas. Quam primum enim ad nutum vnius omnia regerentur, omnibusque, qui in orbe Romano essent, ciuitas daretur ex constitutione Antonini Caracallae Imperatoris g), summum illud ius ne flocci quidem aestimari, quin ridiculum videri oportebat.

SED quod nostras resp. attinet, nonne manifestum est, ius ciuitatis ciuiis Heluetiae aut Magnae Brittanniae permultis egregiis iuribus constare, quae Borussiae vel Galliae ciuiis non modo

B 3

modo

e) Propterea quod membra reip. liberae gaudent pluribus iuribus et praerogatiis ac cuiusque aliis formae ciues haud absurdè κατ εξοχην ciues appellantur ab Aristotle in Polit. Lib. 3, cap. I; quem sequi videtur J. J. Rousseau in Contrat. Social. Lib. I. Cap. 6.

f) Ill. Heynii Oratio aditialis de veris bonarum artijum litterarumque incrementis ex libertate publica; in Opusc. Academ. Vol. I. pag. 59.  
g) L. 17. D. de statu hominum.

modo prorsus ignorat, sed vel in eorum locum onera et obligationes ferre tenetur. Quid sibi autem vult ius ciuitatis re ipsa parum discrepans ab extranei vel incolae iure? Discrepat fere solum nomen.

Ex his diiudicatur, quanti Pufendorfi <sup>h)</sup> et Huberi <sup>i)</sup> doctrina de ciue aestimanda sit.

### S. VI.

*B. Subditi  
secundarie  
subiectio[n]e  
non ciuiis.*

ALTERVM subditorum genus constituunt subditi non ciues, qui in duas partes eunt. Alii enim domicilio constituto viuunt in ciuitate, alii in eadem ad certum tempus tantum commorantur. Illi nominantur incolae, hi subditi temporarii. Postiores excluduntur a nostra tractatione, quia eorum iura non sunt ambigua.

*h) Sam. L. B. a Pufendorf Ius Naturae et Gentium cum Commentar. Jo. Nic. Hertii, Jo. Barbeyrac et Gottfr. Mascovii. Francof. MDCCXLIV. Tom. II. Lib. VII. Cap. II. pag. 153.*

Conf. quae aduersus Pufendorf. monuit ill. Henr. Gottfr. Scheidental in dem Staatsrechte nach der Vernunft und den Sitten der vornehmsten Völker betrachtet Tom. 3. Cap. 2. §. 115. p. 180.

*i) Ulr. Huber de Iure Ciuitatis Lib. II. Sezt. II. Cap. I. quem refutat Chriſt. L. B. de Wolff in Iure Naturae Part. VIII. Cap. III. pag. 412.*

### CAP. II.

## CAP. II.

### DE OBJECTO

QVOD VERSATVR IN IVRIBVS ET OBLIGATIO-  
NIBVS SUPREMAE POTESTATIS CIRCA EMI-  
GRATIONEM SVBDITORVM.

### SECT. I.

*Inquirit in partem priorem quaestioneis: Subditorum emigrationem  
prohibere an et quatenus fas sit?*

### TIT. I.

*Citra respectum ad obligationes speciales quibus subditi obstringi possunt.*

### S. VII.

Quo altius in primas rerum origines penetraueris, eo pro-  
plus veritati quam quaeris accedes, haec est tam vulgaris quam  
recta regula. Quia adducti primum conamur explanare natu-  
ram libertatis agendi, cuius notionem vere dices tradi ita variam  
ut varia sunt hominum capita, qui eandem animo informarunt.  
Nobis est hominis libertas agendi sensu latissimo, potestas s. facultas ho-  
minis voluntatem suam pro libitu exsequendi effectisque actionium determi-  
nandi. Tanti ambitus libertate profecto nemo mortalium pro animi  
natura, corporis structura rerum quibus circumdatur vel regi-  
tur qualitate a summo rerum arbitro donatus est, sed quisque po-  
tius ad certas et immortales naturae leges <sup>a)</sup> tam physicas quam  
morales

a. Generatim  
quaesam ex-  
ponuntur.  
a. de libertate  
hominum  
agenzi,

<sup>k)</sup> Adoptamus h. l. vim et potestatem quam Montesquieu in Tr. de  
L'esprit des Loix. Lib. I. Cap. I. legibus tribuit: "Les Loix dans  
la signification la plus étendue, sont les rapports nécessaires qui  
derivent de la nature des choses."

morales adstrictus est. Qui illas excedere cupit, vel si potest vere excedit, insanit; qui has transcendit, contra fas agit. Viam ad cognoscendum utrumque legum genus aperit homini intellectus vel sana ratio, quae quo veriores sunt notiones, quas sibi format de rerum natura, eo minus naturae leges violabit. Subsistimus nunc in legibus moralibus. Hae videlicet delineant fines humanae agendi facultatis. Ex iis nascuntur obligationes, quae augentur et amplificantur simulacrum homo in plures status se confert. Iam licet ideam paullo adductiorem verum tamen visitatiorem de *hominis agendi libertate* ita determinare, vt ipsa sit, *vacuitas ab exteris nexibus quibus homo obligatur ad certas actiones committendas vel omitendas*. Vbi itaque obligatio oritur vel contrahitur, ibi libertas existere definit; illa huius locum occupat. Vnde euenit, vt eum, qui extra omnem nexum cum hominibus sibi soli vivit, haud dubie pauciores obligationes eaeque imperfectae stringant, quam eum quem in communione hominum positum vides. Perfectas enim nouit tantummodo homo qui congregaciones hominum haud aueratur. Iam oculis tibi proponas hominem in statu solitudinis constitutum. Nonne hic vacat omni nexu indeque nascientibus perfectis obligationibus? Sed relinquat hanc vitam et aeat socialem; tunc tenetur ad finem communem obtinendum eum qui causam dedit societati. Sed magis adhuc hominis obligationes augentur, cum coniugium necdit. Ad hunc nexum venit alius, dum nimis ei nascitur filius filiae. Ita manifestum esse mihi persuadeo, quo plures societates homo inierit, eo plures obligationes ei incumbere adeoque eo minorem esse libertatis partem quam illae relinquant<sup>1)</sup>.

S. VIII.

<sup>1)</sup> Ad haec principia de sententia mea redire oportet eum, qui in contritam illam quaestionem inquiret vult: utrum homines, cum accedant ad societatem ciuilem, partem libertatis naturalis amittant finis illius obtinendi causa necepsa sit, nec ne? Integrum eam manere et neminiimum quidem iurium naturalium secundum ciuitatis scopum ciui eripi posse multis et iteratis verbis vehementer contendit Illust. Jo. Aug. Schlettwein im *Archive für den Menschen und Bürger* Tom. II et III, pag. 30 sq. sed nonne modum excedat, doctiorum sit iudicium.

## §. VIII.

SED sine vlo libertatis fructu, vita, vt Brittannus ille commode animaduertit, tantummodo fruimur precario. Libertas est particula necessaria ultius summi scopi nimirum felicitatis humanae, cuius stabiliendae et adaugendae causa, vt iam supra dictum est, ciuitates exstant. At plenus libertatis usus iam pugnat cum idea supremae potestatis, fine qua ciuitas nulla esse potest \*). Itaque nil nisi illud restat, vt aliqua ratio inueniatur, quae libertati limitem assignet, non eam tollat. Eaque quum nulla alia esse possit nisi finis ipse, in propatulo est, salutem ciuitatis libertati subditorum determinare suos limites. Illa est suprema lex supremae potestati praescripta. Omnibus igitur rebus quae pertinent ad salutem ciuitatis non solum sine iniuria verum etiam ex debito inuigilat suprema potestas; sed ex altera parte, quaecunque non tendunt ad salutem reip., ciuiliter indifferentia sunt et aliena esse debent a cura summae potestatis. Alias enim libertas subditorum plus iusto restringitur m).

His praeparatis, haec libertatis ciuilis notio subiici potest animo: quod sit facultas agendi et omittendi quidquid ciuitatis scopo haud aduersatur n).

AD

\* ) Libertas quoque est thesaurus ita summus et, vt verbo utar, idealis, vt non modo alteri magnam partem tradere et adhuc aliam nobis reseruare possimus, sed vt quoque lubenter credamus, plus libertatis in nostris manibus esse quam reuera ineft. Vid III. Federi Untersuchungen über den menschlichen Willen. Tom. I. §. 118.

m) Perill. Pütteri Beyträge zum teutschen Staats und Fürstenrechte. Tom. I. nr. XIX.: Von der Bestimmung, welche die Landeshoheit mit jeder andern höchsten Gewalt gemein hat, daß sie nur zur gemeinen Wohlfahrt statt findet §. 1 - 5.

n) Haec libertatis ciuilis notio proprius nos ad rem fert quam quae a Montesquieu tradita reperitur in Tr. de L'esprit des Loix Tom. I. Lib. XI. Cap. III. et Lib. XII. Cap. II.

C

Ad finem propositum consequendum media quaedam adhibenda sunt, quae vel cum coactione coniuncta, vel citra eandem ad exoptatum finem ducant. Coactio autem quum semper involuat malum, quod imminuit libertatem adeoque etiam felicitatem, tum demum inferri potest subito, si aliis mediis non violentis malum maius fini ciuitatis contrarium repellit nequeat. Deinde iusta tantum est coactio, si respondet fini qui intenditur, nec maius est malum quod efficitur ciuiis coactione adhibita, quam malum tollendum.

Ad haec redeundum est; supremae potestati in iis rebus, quae concernunt salutem publicam et libertatem ciuilem.

### §. IX.

*b. Speciatim de libertate sociorum discedendie societate.*  
*l. Sociorum in genere.*

QVVM ciuitas constituantur societate et proinde ciuiis socius sit, necessarium esse iudico antea breuiter perquirere, an et quatenus socius a societate recedere possit. Habet quaelibet societas peculiarem finem, quem omnes socios, dum socii sunt, vi paxi promouere oportet. Sed num ex eo consequitur, vt, si nil de discessu singulorum conuentum est, absque totius societatis consensu nec ullus sociorum, quantumuis eius interfit, discedere queat? Minime id mihi persuadere possum, cum cogito, quemuis socium in primis eo consilio intrasse in societatem, vt melius promoueretur sua salus o); id autem quum perfici non possit nisi quoque consociorum felicitas promoueat, (eum tamen nexum, quo seruus cum domino coniunctus est, iubens excipio) exinde quidem apparet, societatem ad communem sociorum felicitatem amplificandam esse initam; sed hic qui intenditur finis vni sociorum iusta causa ad discedendum adducto ius discedendi admere nequit, dummodo discessio neque intempestive, neque dolose fiat p), et disce-

- o) *Non socios sed ab illis honore vel commodo affici, natura quaerimus.*  
*Sunt verba Hobbesii in Tr. de Cive Cap. I. §. I.*
- p) *Sam. a Pufendorf de Iure N. et G. Lib. VIII. Cap. XI. §. II.*  
*in fin. vbi ita sentit: "Nam etiam aliis societatibus renunciare potest*  
*, socius,*

discendens ad resarcendum damnum quod discessu infert societati, paratus sit. Ne quis autem cogitet, ullum hominem, cuius olim interfuerit iungere vinculum sociale, tacite consenseris in id, ut, licet postea, si illud rumperet, melius forti suae consuleret, nihilominus tamen, dum staret societas in consociorum felicitatem in retinendo illo perseveraret, illud facit, quod nemo est, cui, dum init societatem, in mentem veniat, sibi non aliter nisi omnium sociorum consensu abitum integrum fore. Ceteroquin coactum membrum quid expediet societati?

SED obiicitur, q) *hac libertate promiscue concessa, societatem durare et saluam esse saepe non posse.* Quod ad id attinet, primum nemo socio cuiuslibet classis in quibusunque casibus dabit liberum ius dissoluendi nexum socialem quo coniungitur cum societate; deinde autem firme mihi persuasum est, parum referre, si nonnunquam spontaneo sociorum discessu aut pedetentim aut vna vice contingente societas ipsa esse desinat, modo socii aliter beati futuri sint.

ADIVNGAM adhuc hanc obseruationem: Quo maior est hominum numerus, ex quo consistit societas, eo rarius haec capiet detrimentum singulis discendentibus; contra, quo minor, eo saepius et grauius sentiet damnum pars quae deferitur. Quoad illud societas ciuilis, quoad hoc coniugalis instar omnium sint nobis exemplo. Inter vtrumque tamen ea differentia insignis intercedit, primo quod ciuitas est vniuersitas igiturque scopum perpetuum

C 2

habet,

,socius, si id fiat citra dolum, non intempestive et in fraudem ceterorum, praesertim si ad certum tempus societas non sit contracta." Pufendorfio adiipulatur Joannes Ma. Lampredi in Iuris Publici Univ. Theoremat. Liburni MDCCCLXXVII. Part. I. Tom. II. §. 6. nr. VIII. pag. 92; et Joan. Jacob. Cella in den freymüthigen Auffässzen; Drittes Bändchen, nr. I. pag. 44 sq. Alia omnia sentiunt Viri Celebbs. Daniel Nettelbladt in System. elem. univ. iurispr. nat. Edit. 4. §. 369. pag. 14. et Jo. Aug. Henr. Ulrich in initii philosophiae iusti. Leuae MDCCCLXXXIII. §. 366. p. 238.

q) Vid. Ill. Ulrich loc. cit.

habet, non coniugium; deinde quod homo, dum ciuis fit, minime cogitat, aliquando discessum ei forsitan prohibitum iri, at coniux, priusquam coniugium contrahit, iam scit, idem pro luto dissolvi non posse.

## §. X.

II. Subditos  
ram in specie.

POSTQVAM generatim libertatem socrorum rumpendi vinculum sociale cognouiimus, necesse est ut speciatim inquiramus in libertatem subditorum circa emigrationem. Quae quidem curatiori cognitione digna est, quapropter pedetentim in ea procedendi animus nobis est.

## §. XI.

A. Notio emi-  
grationis.

*Emigratio igitur est discessus subditi ex ciuitatis territorio, in quo hucusque habitauit, iuste suscepitus eo consilio, ut pro luto in territorio alius ciuitatis domicilium confituat.*

ALIQVANTVM haec definitio discedit a vulgari, quae *exitu ex ciuitate eiusque iuris amissione* continetur <sup>r)</sup>; quam nos vero hand accurate esse conceptam credimus. Fieri enim potest et saepissime fit, quod quis, licet emigret, retineat tamen ius ciuitatis, quia in ea terra ius ciuitatis non adstrictum est ad domicilii constitutionem. Sed is nexus, qui ex domicilii constitutione remp. eiusque superiori inter et subditum intercedit, omnino tollitur adeoque iura, quae circa eandem locum habent, desinunt.

VULGARIS est diuisio emigrationis in voluntariam et necessariam. Illam suscipit subditus spontaneo ausu; hanc iussu superioris reip. instituere cogitur, siue ratio posita sit in delicto, siue in re alia.

<sup>r)</sup> Vid. Jo. Ad. L. B. de Ickstatt de iure statuum imperii expellendi atque transplantandi subditos, diuersam a territorii domino religionem amplectentes (in Opusc. T. I. Opusc. V.) §. I. pag. 287. nec non Jo. Rud. Engau Progr. An ciues religionis causa emigraturi queant transplanari? §. I. pag. 4.

alia. Quae quidem posterior in utroque casu rectius *expulso* nominatur; prior autem solummodo in nostram disquisitionem venit.

### §. XII.

A Scriptoribus primariae classis quaestio: Vtrum gaudeat subditus iure emigrandi? partim affirmata partim negata est. Liceat mihi eorum sententias succincte commemorare.

PRIMVM quidem *Hugo Grotius* omnium princeps separat emigrationem gregatim contingentem ab ea quae signatim fuscipitur. Illam illicite, hanc licite fieri contendit. Deinde denegat ciui ius emigrandi tunc, cum ciuitatis intersit ciuem non abire, quod accidat 1) si magnum contractum sit aes alienum 2) si obsidio immineat <sup>s).</sup>

At *Samuel L. B. a Pufendorf* reiecta Grotii distinctione simpliciter declarat, non solum singulis sed quoque magnis hominum ceteruis emigrare fas esse et sufficere solam discessus denuntiationem. Ceterum adsentitur Grotio <sup>t).</sup>

*Henricus Cocceius* superiorem subditum inuitum retinere non posse existimat, nisi ex causa publica lex impedit <sup>u).</sup>

SENTENTIAM fere eandem fouet *Ulricus Huber*, quippe qui, et si censeat, subditorum obligationem manere dum cohabitatio duret, eamque mutare singulis liberum esse, tamen putat, discessum, qui maiore frequentia instituatur, iure meritoque impediri, atque si intempestive aliqui discedere parent, aut cum grande aes alienum collatione facta publice sit exfoluendum, aut belli maius immineat vrgatque periculum, retineri posse subditos et denique adiungit,

C 3 lege

<sup>s)</sup> *Hugo Grotius de Iure Belli ac Pacis.* Edit. Joannis Barbeyrac. Lib. II. Cap. V. §. XXIV.

<sup>t)</sup> *Pufendorf de Iure Naturae et Gentium.* Lib. VIII. Cap. XI. §. II - IV. pag. 484 sq.

<sup>u)</sup> *Henrici Cocceii Grotius Illustratus.* Tom. I. Lib. II. Cap. V. Prof. I. pag. 634. sq.

B. Elencus  
opinorum  
quas habent  
primarii  
scriptores de  
iure emi-  
grandi.

lege semper posse caueri, ne imposterum discessus aliter quam venia publice impetrata instituatur, et praestationes quasdam patrimonii abeuntium imponi *x*).

*Iustus Henningius Böhmer* vindicat quidem subdito libertatem emigrandi, quatenus tali emigratione nullum ciuitati praeiudicium creetur, sed eandem tamen magnopere restringit, scilicet non modo si aliud insuper vinculum peculiare adsit, ob quod discedere subditus non possit, et si alias intempestiuia fuerit emigratio, verum etiam ut lege publica emigratio tam in totum prohiberi, quam ita quoque permitti possit, ut discessurus onera quaedam praestet *y*).

*Christianus L. B. de Wolff* primus est qui absolute contendat, discessum subditorum a consensu superioris dependere; idemque existimat, si subditorum numerus maior fuerit, quam ut omnibus de his prospicere detur, quae saltem ad vitae necessitatem faciant, iis discedere licere, quorum opera ad promouendum bonum publicum carere possit resp.; item, discessum diuitum et eorum, qui in aliquo vitae genere alios antecellant, nec non quorum opera ad defensionem reip. necessaria sit, tum etiam omnem emigrationem quae gregatim fiat, nisi ea sit rerum penuria, ut extremae vitae necessitati prospicere discedentibus non detur, optimo iure prohiberiz).

RESTAT ut obseruemus quid sentiat *de Vattel*. Eius iudicium eo reddit, ut subditus, nisi resp. ita comparata sit ut emigratione magnum capiat detrimentum, iure perfecto emigrare possit *a*).

RECENTIORES scriptores inter se aequa ac veteres dissentunt, semper tamen comprobant aut Grotii, aut Pufendorfii, aut Böhmeri

*x) Huber de Iure Ciuitatis.* Edit. 4. Francof. et Lips. MDCCVIII.  
Lib. II. Cap. I. v. 34 - 40. pag. 400.

*y) Boehmeri Introductio in ius publicum vniuersale.* Edit. II. Halae MDCCXXVI. Part. Spec. Lib. III. Cap. II. §. XVIII. XX - XXIII.

*z) Wolff Ius Naturae.* Part. VIII. §. 403 - 408. pag. 300 sqq.

*a) Le droit des gens par Msr. de Vattel.* Amstelod. 1775. Tome I.  
Lib. I. Cap. XIX. §. 220.

meri aut Wolffii, huius extremi saltim ex parte, sententiam, vti postea patebit.

NVLO modo autem mihi omittendus est Vir ornatissimus Ioannes Jacobus Cella qui nouissime tanto ingenii acumine, quantum est ipsi ingenuus sensus eorum, quae ad sanctitatem iurium humanorum ciuiliumque pertinent, de nostra materia iudicauerit. Ideas antecessorum sevère perpendit ipseque adoptauit Pufendorfii bene cogitata b).

### S. XIII.

Venio ad grauissimam quaestione*m an et quatenus fas sit, emigrationem subditorum prohibere?* Cui praecedere ab eaque differre videatur ea: *Num liberum discedendi ius subditis tribui possit?* Vtraque quaestio primo intuitu aliam speciem prae se fert ac ea quae §. 9. in medio ponebatur: *an iure socius a societate recedat?* Respublica enim constituit vniuersitatem, cuius finis perpetuus is est, vt conseruetur et amplificetur salus subditorum omnium, quae deinde summam potestatem creat, cui incumbat iure maiestatis et vi imperii, vt illum obtineat et promoueat; tum etiam subditi per pactum sive tacitum sive expressum renunciant suae libertati naturali eatenus quatenus id desideret illa suprema lex, cui obedientiam sempiternam praestare sancte promittunt. In remunerationem Imperans curat, vt subditi secure et tranquille vivant, vt reliqua libertatis naturalis pars non abhorrens a scopo totius ciuitatis a quibuscumque inuasionibus defendatur.

*A. Genera-  
lia quaesicio-  
nis praemo-  
nenuntur,*

Ex his patere videtur, hunc nexum, qui inter subditum et ciuitatem intercedit, tollere ciuitatemque relinquere, minime quidem in subditi arbitrio positum esse, sed, tum saltem, si reip. interfit, ipsam

b) Johann Jakob Cella's freymüthige Auffsätze. Drittes Bändchen. Anspach 1786 nr. I. Über Auswanderungsfucht und Auswanderungsfreyheit der Deutschen.

ipsam magno subditorum numero circumfluere, supremam potestatem optimo iure emigrationem prohibere posse.

Ita speciosa est obligatio, quae subditos impedit, quo minus emigrent, sed nihil aliud nisi speciosa. Interim haec speciositas, ut hoc vocabulo vtar, multorum scriptorum oculos plus minusue praefixit, ita ut ibi absolutam vel certe quandam obligationem esse videre existimarent, vbi acie oculorum magis magisque intenta merum ius perspicere potuissent. Etenim nos spes dulcis tenet fore, vt nisi ciuitatem suprema necessitas premit, subditorum qua talium liberum ius emigrandi ex principiis iusti vniuersalibus deducturi simus. Quo facto videtur tamen restare altera quaestio nimur ea: *Hoc emigrandi ius naturale annon subditis a supra potestate citra respectum ad necessitatem quam resp. sentiat adimi possit?* Nam scriptum legimus, nonnullos quidem quaestionem illam superiorem, vtrum ciuius liberum ius emigrandi habeat, negare, eosdem tamen hanc posteriorem affirmare.

NISI autem tibi ipsi contradicas, alteri ius perfectum tribuere nequis, quod alter similiter iure perfecto illi eripere possit. E contrario si illius ius stat firmo tali, hic tenetur \*), vt tam ius ipsum saluum relinquat, quam eius exercitium haud impedit. Error in eo versatur, quod non cogitant, iura mire variare posse prout variant res seu circumstantiae.

SED cui libet vtramque illam quaestionem affirmare, is sine repugnantia id non faciet. Nam cum probari queat, subditos qua tales secundum principia iusti ad ciuitates applicata re vera libero iure emigrandi praeditos esse, Imperans in summas iustitiae leges inuaderet, si illos suo iure priuaret.

#### §. XIV.

B. Specia-  
tim quaestio  
confideratur.

QVA quidem in re separandum esse puto ciuitatum statum ordinarium ab extraordinario. Sub hoc comprehendimus eam reip. condi-

I. Statu reip.  
ordinario.

\* ) Excipias tamen ius absolutum et cogens in specie i. e. cui non necessario repondet obligatio alterius aduersus quem exerceri potest in statu necessitatis.

prehendimus eam reip. conditionem, qua dubitatur de eius conservazione, cum contra in illo resp. salua sit et incolumis. Ab utroque statu generatim dependent diuersa supremae potestatis et singulorum ciuium iura et obligationes. Inde fit, vt illae leges, quas condit suprema potestas in statu reip. extraordinario iustae esse possint, quae iniustae forent in statu reip. ordinario. Videbimus, ad hanc diuersam reip. sortem respiciendum esse in enucleanda nostra quaestione. Primum ostendemus, in statu ciuitatis ordinario subdito competere ius emigrandi, quod ei ob nexus quo cum rep. coniunctus est adimi nequeat neque a venia Imperantis dependeat.

## §. XV.

IAM si resp. est in eo statu, vt non opus illi sit ad res et media extraordianaria confugere, ante omnia explorandi sunt fontes, ex quibus in hac materia hauriendum est. Eorum in primis sunt duo, tum principia vniuersalia, tum normae pacitiae expressae. De eo quod iustum est circa emigrationem subditorum ex priore fonte in praesentia erit dicendi locus.

## §. XVI.

In qualibet rep. culta duplex est legum genus; alterum complicita priuatas, alterum publicas. Vtriusque est diuersa natura et ratio. Priuatae enim concernunt priuatos et ciuiles subditorum nexus; publicae respiciunt immediate ad totam rem. et Imperatorrem. Priuatae porro conduntur vi imperii et obnoxiae sunt vniuersitatis. Priuatae porro conduntur vi imperii et obnoxiae sunt vniuersitatis. Hae itaque solum mutuo consensu vtriusque partis i. e. Imperantis et ciuium mutari abrogari iisque aliae substitui possunt. Iam quum consensus non solum expresse verum etiam tacite declarari possit, in aprico est, et posse ciuium consensum in Leges publicas condendas tacitum esse, sed si eundem presumere vis, requiritur id, vt Leges publicae quae ab imperante ferantur, tendant manu-

D

festo

<sup>a)</sup> Circa res spectum ad normam patellam, quae concernit emigrationem.

<sup>aa)</sup> Ciuium, Imperanti denegatur ius ferendi legem quia emigratio prohibetur venia non impetrata.

festu ad prosperitatem ciuitatis promouendani. Quae si ita comparatae sunt, asseri potest, eas in vim pacti valere. E contrario si neutiquam ex dispositionibus publicis, quas Imperans proposuit, consilium verae ciuium salutis adaugendae appareat, potius eorum libertatis plus iusto constringendae et vanae libidini tantum satisfaciendi, tunc quoque ciuius tacite consensisse minimi dici potest.

NUNC vertitur res in eo, ut perquiramus, an possit Imperans ferre legem, qua ciuibus emigrare interdicatur. Eiusmodi norma haud dubie lex publica est, quae proinde necessario ad validitatem desiderat nisi expressum, certe tacitum ciuium consensum.

### S. XVII.

*aa. Rationes  
decidendi.*

*aaa) Probari  
nequit tacitus  
ciuium con-  
fensus.*

*I. Neque ex  
pactis pri-  
matus ciu-  
tatum impri-  
mis pacto  
subiectio-*

TANTVM abest ut existimem, homines libertatem terram terra mutandi, qua iure optimo in statu naturae vterentur, introitu in statum ciuitatis amississe, vt ostendam, eo ipso magis magisque eam securam et firmam reddere eos voluisse. In illo nimirum licet omnino fas esset, viribus infirmiores aequae ac fortiorum aequali libertate agendi frui, nisi aut natura ipsa infantem sui haud componet moderamini parentum subiecisset, aut aliis per proprium factum ceruicem alterius iugo submisisset, attamen quis erat, cui prohibendi esset facultas, quo minus imbecillum fortis, fortior in suam redigeret potestatem, adeoque vis iure superior et bellum perpetuum omnium contra omnes esset? Ita imbecilliori potentioris potestati subiecto nec in periculosa fugam se conferre audenti nil restabat nisi vt in eo loco, quo dominus eum collocaverat, maneret. Facultas autem statum pro lubitu mutandi absque dubio praeter alias recta est via quae nos ad beatam vitam fert. Atqui mortales viuis potestati se suaque subiecerunt, vt quisque secure et pro suo iudicio felicitatem propriam stabiliat. Quum itaque accedit, vt ciuium unus nonnullius aut rationibus adduci sibi persuadeant aut tantum opinentur, rebus suis in ea ciuitate, in qua nunc temporis versantur, nocia obftacula obiici, quis quaelo contem-

contendere poterit, pactum subiectionis primaeum continere tacitam libertatis emigrandi renunciationem? Quapropter recte *Vlric. Huberus* c) ea fuit tacita foederis conditio, inquit, ut obligatio maneret, dum cohabitatio duraret, eam tamen mutare singulis liberum esset. Hoc enim videri voluisse populos, est ratio quae suadeat evidens, et quae diffideat paene nulla.

ACCEPIT quod experientia omnium seculorum teste, res publica quaedam sorte florentissima frui potest, et si interdum emigretur.

### §. XVIII.

Ius ciuitatis fundatur pacto quod ciuis pangit cum supra <sup>2. Neque ex pacto, quod quilibet ciuis forsitan cum supra potestate init.</sup>  
potestate, quod tum tacitum tum expressum esse potest. Per se clarum est, nouo ciui inde a tempore acquisiti iuris ciuitatis nouas obligationes oriri, quibus antea non premebatur. Num vero ex eo colligi potest pactum iungi indissolubile et quodammodo ciui infligi characterem indelebilem? Id qui contendit non cogitat, neminem fere ciuum, qui perraro nouerunt pactum, quod tacite cum rep. iniisse dicuntur, (saltim in quam plurimis ciuitatibus ita fit) praeuidere posse, an non aliquando ad emigrandum ipsum coacturae sint aut res familiae, aut spes melioris fortunae, aut singularis reip. lex, aut nimia prouentuum diminutio, aut ruina saltim decrementum eius opificii artisue quam tractat, aut vitium quo laborat ciuitas, et quis omnes recensere et prouidere poterit peculiares casus? Itaque verisimile non est, homines aliquando per eiusmodi pactum libertatem aliquando emigrandi amittere voluisse. Optime hoc detegi posset, si ciues expresse interrogarentur, num libero emigrandi iuri sibi viderentur renunciasse? Certum est, ipsos minime gentium hanc quaestione affirmaturos esse.

### D 2

### §. XIX.

c) In Iure Civit. Lib. II. Sect. II. Cap. I. §. 34 et 35.

## §. XIX.

b) *Resolutio ad  
habitum ad  
natuitatem.*  
QVILIBET homo nascitur quidem liber; sed cum natura ei de-  
negauerit facultates statim vitae et saluti propiciendi, quid natu-  
rae magis conuenit, quid iustius est eo, vt ii in ipsius victimum et  
cultum curas conferant, quorum facto contigit, vt exsisteret. Si  
praeterea accedit, quod parentes viuunt in ciuitate, huius multum  
refert bona liberorum educatio, quam ob rem etiam illa hanc  
inspectione sua amplecti solet. Qua quidem ratione parentum  
liberi instruuntur, vt possint aetate prouecti haberi in numero hono-  
rum ciuium, verum enim vero non aliter nisi accedat ipsorum liber  
consensus. Ob curas enim, quae tum a parentibus, tum a rep-  
ad educandum adhibitae sunt, ipsis nulla perfecta obligatio imponi  
potest; plena potius eligendi libertas relicta sit oportet, cum con-  
secuti sunt idoneam aetatem qua dignoscere possunt, quid bonum,  
quid rectum sit, vtrum membra patriae fieri cupiant, nec ne. Cum  
his vero non repugnat, quod parentes parentumue maiores statuerint  
ius, vi cuius liberis suis integrum est adspireare ad ius ciuitatis,  
quamquam e contrario maioribus nunquam ius est posteros perfecte  
obligandi, vt accipient ius ciuitatis.

ITA iudicant Viri Cell. *Locke d), Vattel e), Feder f), Cella g).*

Ex his itaque patebit, ciuum filii si patriam relinquendi vo-  
luntas sit, ob natuitatem id iis iniuste denegari. Atque mirum est,  
quod aetate nostra adhuc *Vrivo V. C.* ciuum filii per ipsam natu-  
ritatem ciuitati facri esse videantur *h).*

§. 20.

*d) du Gouvernement civil. Cap. VII. §. XIX - XXVIII.*

*e) le droit des gens. Tom. I. §. 220.*

*f) in den Grundlehrn zur Kenntniß des menschlichen Willens und der  
natürlichen Gesetze des Rechtverhaltens. §. 43. pag. 67.*

*g) über die Auswanderungsfucht etc. pag. 25 - 31.*

*h) in initia philosophiae iusti §. 478.*

## §. XX.

DEINDE ex natura rei non liquet, quempiam ob id quod iure dominii possideat fundum aedesue in quadam rep., pro ciue habendum esse nec idcirco emigrare posse; attamen certum est, dari multas ciuitates, in quibus ius ciuitatis inuenimus adstrictum ciuili possessioni portionis terrae vel aedificii cuiusdam. Vbicunque autem id introductum sit, nullam rationem animaduertimus, quae efficiat, vt propterea emigratio iuste prohibeatur; multo magis cum iuris ciuitatis et possessionis fundi diuersa sit natura, quinimo obseruante L. B. de Ickstatt *i*), „nil obstet, quominus qui emigrant in ciuitate quam relinquant, bona possideant; quae habuere antea retineant, retenta per ministros administrent, et, quoties ratio id postulat, ad res suas inspiciendas, vel persequendas lites aut debita exigenda libere aadeant.”

ATQVE huic rei non aduersatur, emigranti adhuc ius ciuitatis ratione bonorum immobilium, quae reliquerit, saluum manere posse ideoque etiam remp. habere quoddam ius in illum *k*), cuius vim tamen nolim tantam esse, vt vel minimam libertatis personalis partem eripiat.

## §. XXI.

PRAETEREA in omnibus fere ciuitatibus (de Germanicis cer-*v*) *Commercialium*, tum est) cum receptione hominum in collegia ciuica coniuncta esse videtur acquisitio ciuitatis, quod tamen tantum cernitur in vrbibus, quandoquidem duntaxat in his commercium viget. Ex eo autem, quod artifex, mercator et opifex ad res suas agendas non potuerunt adipisci ius ciuitatis, neutquam colligere possumus, ipso eo ipso tacite renunciasse libero iuri aliquando discedendi, cum utilitas vel quaedam necessitas id exigeret; qui e contrario,

D 3

cum

*i*) de Iure statuum Imperii expellendi atque transplantandi subditos etc. in Opusc. Iur. Tom. I. pag. 285. §. III.

*k*) Pufendorf Ius Nat. et Gentium. Lib. VIII. Cap. XI. §. III.

cum identidem audiant vel legant, tot suae rei socios ex alienis  
rebus p. egressos in alias se conferre, necessario persuasos sibi ha-  
bent, nec ipsos aliquando si forsitan e re sua esset, ab emigrando  
prohibitum iri. Neque natura commercii ita comparata est, vt  
ipsius affectis discessus prohiberi debeat, cui potius vt augescat et  
florescat plena libertas esse debet.

## §. XXII.

<sup>3)</sup> Munera  
publica.  
POSTREMO adiunctum esse solet muneri publico obeundo ius  
ciuitatis. An et quatenus illud impedit, quo minus is qui eo  
fungitur emigret aptius perquiritur Tit. II. §. 52.

## §. XXIII.

<sup>bbb) Contrac-</sup>  
<sup>tratum protius</sup>  
<sup>patet ex more</sup>  
<sup>ciuitatum emi-</sup>  
<sup>grandi, qui</sup>  
<sup>magis firma-</sup>  
<sup>tur superio-</sup>  
<sup>rum politica-</sup>  
<sup>tionibus cum</sup>  
<sup>peruenient ad</sup>  
<sup>principatum.</sup>  
MORES ciuitatum, qui optime respondent iuribus hominum  
naturalibus et immediate libertatem ciuium concernunt, nequeunt  
euerti a Superiore ciuitatis. Eiusmodi mores accipiunt quodam-  
modo vim legum fundamentalium eo quod Imperans, cum accedit  
ad remp., sancte promittit, sece cives moribus rationi non contra-  
riis haud priuaturum. Si vero cum salute publica pugnant, ex  
principiis sanioris politices prospiciendum est, vt alii melioresque  
mores substituantur 1).

NEC itaque mos libere emigrandi in iis ciuitatibus vbi a ma-  
ioribus ita acceptus est, quum rectae rationi minime aduersetur et  
prope accedat ad naturam legum fundamentalium, lege Imperan-  
tis unilaterali abrogari potest.

## §. XXIV.

<sup>1) Catharinae der II. Instruktion etc. Cap. VI. §. 60.</sup> "Wenn zum  
„Besten eines Volks eine große Veränderung vorzunehmen erfordert  
„wird: so muß dasjenige, was durch Gesetze eingeführt worden,  
„durch Gesetze, und was die Gebräuche in Schwang gebracht, durch  
„Gebräuche verbessert werden. Es ist eine sehr schlechte Politik, die  
„das durch Gesetze verändern will, was durch Gebräuche verän-  
„dert werden muß."

## §. XXIV.

Ad aliam venio rationem eamque pergrauem, quae vertitur in eo, quod ciues interdicta libera emigratione seruis quadantenus aequaluntur.

IUSTVM est quidquid omnimodo optimum. Secundum hoc summum in iure naturae principium nemo dubitabit, quin optimum sit id, ut homines tanta felicitate, quanta per suam cuius propriam naturam frui possunt, vere fruantur. Pertinet autem ad beatitudinem usus libertatis, cui subiecta est libera facultas statum praesentem cum alio mutandi. Si itaque posterior homini eripitur, particeps fieri nequit vere beatae vitae. Quocirca fit, ut serui conditio non tam eapropter misera sit et inhumana, quoniam destituti sunt serui iure pleno de rebus quas possident, pro lubitu disponendi, sed praeципue quoniam, manumissione nisi facta nec venia data, glebae adscripti manent ideoque libertate discedendi carent, egressi autem vindicari <sup>m)</sup> et ex arbitrio a domino puniri possunt secundum morem abominandum sed ita a maioribus acceptum. Hoc solum immane et crudele est et humanae naturae, cuius iura fundamentalia ea ratione violantur, aperte repugnat.

Si nunc vel ciuis, i. e. homo liber cogi posset, ut perpetuo ibi, ubi semel habitet, maneat, is, sicuti homo domino proprius est villaे adscriptus, ita tanquam Imperanti proprius ciuitati adscriptus esse videretur.

CONCLVDO hanc paragraphum aureis verbis Caroli Friderici Marchionis Badensis, Principis Optimi: „Malimus tantummodo, inquit, regere liberos homines, liberauimus subditos a vinculis seruitutis, oportet igitur ut licet eis, si nostra terra non amplius placeat, migrare quounque velint, <sup>n)</sup>. O si talia insideant alte infixa in cuiuslibet Imperantis pectore!

## § XXV.

<sup>m)</sup> Prolixius in hoc argumento versatur Cella I. c. pag 40 - 44.

<sup>n)</sup> Excell. J. H Campe Sammlung interessanter und durchgängig zweckmäßig abgefaßter Reisebeschreibungen für die Jugend. Tom. II. Guelpherb. 1786. nr. 15. pag. 309.

## §. XXV.

*ddd) Superior  
a regimine se  
abdicare po-  
test.*

DEINDE, superior et subditi hoc loco ut pacientes considerandi sunt. Quatenus vni parti datur ius dissoluendi nexus, eatenus etiam alteri id licitum esse debere recta ratio docet. Superiori autem in statu reip. ordinario competit ius se abdicandi a regimine, ergo quoque nihil iustius est eo, ut simili modo cui tribuatur ius in eodem statu si placeat recedendi a nexus pactio. Nam specialis ratio, quapropter hic debeat statui praerogativa in fauorem superioris non adest, contra si curatiorem causae cogitationem institueremus, forsan plures casus detergerentur, in quibus merito superiori abdicatio ab imperio haud libera esset. Igitur absonum mihi videtur, quod Christi. L. B. de Wolff regi facultatem tribuat a regimine se abdicandi ex ea ratione, ex qua aequa bene deriuari potest ius ciuium dissoluendi nexus cum ciuitate per emigrationem, ex tacita scilicet voluntate populi o).

## §. XXVI.

*eee) Emigra-  
tio est mini-  
mum reme-  
diū quo ci-  
uis vitur  
contra iniu-  
fiam domina-  
tionem.*

INSUPER qui paullulum duntaxat addiscendae hominum indolent et moribus studuit, is lubens fatebitur, homines ambitione inductos non raro ambitione sua abuti, quod non solum apud pessimos, sed vel nonnunquam, dolendum est, apud optimos animaduertimus. Maxime autem historia antiquioris et nouioris aetatis (heu nimis!) testatur, quam faepissime superiores iura hominum ciuiumque violaverint crudelissimeque in eos facuerint. Quodnam remedium tunc supereft quod ciuem aduersus tyrannicam dominationem defendat nisi emigratio? Nonne ipsa nostra aetate leges promulgantur, quibus vera libertas ciuium naturalis plus iusto restringitur adeoque salus eorum laeditur? Nonne interdum in alia atque alia rep. ad nutum et libidinem omnia reguntur, nullo respectu habito ad id quod optimum est quodque non offendit iura humanae naturae? Nonne malum minus

*o) Wolff in I. N. Part. VIII. Cap. II. §. 366.*

minus est emigrare, quam seditionem mouere contra tyrannum dignum qui de throno deiiciatur! Nonne interdum Titis Nero-nes succedunt? Num hi, si non constat, ius emigrandi esse ius ciuibus omnium ciuitatum commune fundamentale, veniam emigrandi emigraturis dabunt? Et vbinam gentium imbecillior contra superiorem, in cuius manu sua tranquillitas, bona, vita et salus sita sunt, ius et auxilium quaerat?

## §. XXVII.

PER Legem, quae ciui eripit liberum ius emigrandi, sine <sup>(et) Imperia-</sup>  
<sup>tem iis reme-</sup>  
<sup>dis vii opor-</sup>  
<sup>tel que opti-</sup>  
<sup>ti conseruant</sup>  
<sup>avertendae ci-</sup>  
<sup>viuum emigra-</sup>  
<sup>tionis.</sup>

villa dubitatione libertas naturalis constringitur summum in modum. Talis autem restringio fieri tantum potest primo, si defuncta alia media, quibus scopo ciuitatis obtinendo satisfieri possit, deinde, si per eadem resp. eiusque ciues non capiunt plus detrimenti quam emolumenti.

Quoad primum manifestum est, creberrimas ciuium emigra-tiones utilitati publicae obesse, sed merito quaeritur, annon reme-diis aliis quam p) Lege absolute prohibitiua, remediorum extremo, huic malo obex obici possit? et, credo, facile intellectu est, supremae potestati vti licere sat remediis non violentis. Quicunque emigrant certis gravissimis causis ad emigrandum adducuntur. Has inuestigare et tollere, id debet supremae potestati curae cordique esse; omnes enim fere sunt ita comparatae, vt tolli possint.

Quoad alterum non opus est longa demonstratione, facilime per absolute vetitam emigrationem maius damnum quam commo-dum reip. creari posse, cum cogitamus, quemuis peregrinum cau-turum

p) Catharinae II. Instruktion etc. Cap VIII. §. 87. *Man muß Men-schen nicht auf den äußersten Weg führen, sondern sich der Mittel, welche die Natur uns verleiht, um sie zu dem erwünschten Zweck zu bringen, mit Behutsamkeit bedienen.*

turum esse, ut ne migret in eam terram ex qua, si semel sedem fixerit, recessus negatur; et contrario autem libertatem emigrandi saepe esse causam maioris frequentiae ciuium. Si adeo alius alius eiuis forsan coactus certis rebus, cui subuenire ultra vires superioris est, egrediatur, facili negotio refarcietur iactura huius eiuis per homines aliunde affluentes.

### S. XXVIII.

(ggg) Ob difficultates, quae cum executione legis, quae prohibet emigrationem, concursum sunt.  
Si vniuersal lex quaedam difficulter finem, cuius causa lata est, consequitur, profecto est ea, quae vi metuque emigrationem eiuium prohibere vult. Studii enim emigrandi fere eadem ratio est quae amoris certae religionis. Sicuti hic, teste experientia, contemnit et despicit violentiam, ita et illud. Nullum fere extat regnum in quo vniuersi voluntas vim legis accipit, quod non vetasset, ut ne ciues, priusquam veniam nauci fuerint, emigrent; cogitemus tantum de Gallia, Austria, Borussia \*), Russia, Dania rel.; sed nullam legem ciues forsan saepius migrarunt, quod certe de his regnis inter omnes constat \*\*). Etiamsi per eiusmodi legem poena dura, quae iudicis durior redditur, statuta est, libentius tamen ciues bona, libertatem ipsamque vitam periclitantur, priusquam remaneant in terra infesta parumque sollicita, vtrum ciues voluntarios an poenis coactos habeat. Poena ipsa pro diuersitate ciuitatum diuersa est. Statuant quamplurimae emigrantibus sua sponte confiscationem honorum, quam poenam etiam *Carmenus* proponit q), sed haud

\*) Valde severa mihi videtur ea lex quam rogat *Carmenus* V. G. im Entwurfe eines allgemeinen Gesetzbuchs für die Preußischen Staaten. Theil I. Abth. III. Tit. V. Absch. II. §. 78. pag. 71. „Kein Unterthan des Staats darf sich ohne Erlaubniß desselben, seiner obersten Gerichtsbarkeit, durch Auswanderung aus dem Lande, entziehen.“

\*\*) In permultis quoque Germaniae ciuitatibus emigratio prohibita est, quod apparet ex Diff. Joann. Georg. Frid. Heyd (Repf. Phil. Chr. Frid. de Normann) de Iure emigrandi in Germania pag. 56. §. XXXIII.

q) l. c. §. 88. pag. 73.

haud scio an haec adaequata sit. Astutus enim per varias fraudes et collusiones quae eunitari nequeunt, nisi velis libertatem naturalem durissime et arctissime circumscribere, poenam fugere studebit et ad egenum ea lex habet nullam vim. Sub poena autem capitisi vel alia huic aequali vetare emigrationem, sicuti olim Gallia fecit <sup>r)</sup>, omnino iniustum, inhumanum et horrendum est. Quid de ceteris poenis, veluti poena corporis, carceris rel. censendum sit, fusius explicare superfluum foret, quum iniustum sit, si id punitur, quod nulla lex pro crimine declarare potest.

### §. XXIX.

DENIQUE, si eae ciuitates, in quibus emigratio ciuibus libera est vi legis expressae, siue fundamentalis illa sit siue non, diffluunt magna hominum frequentia et florentissimam faciem nobis monstrant, ex eo argumentari licet, minime naturam et finem ciuitatum ita ferre, ut ciuibus necessario discessus inhibeatur.

lxxii) Florent  
ciuitates,  
quarum ciuiti-  
bus vi legis  
expressae  
emigratio in-  
tegra est.

PERTINENT huc in primis terrae quas *Georgius III.* Princeps optimus, imperio tenet. Nam Britanniae ciuibus per legem fundamentalem, quam dicunt *Magnam Chartam* <sup>s)</sup> sanctius firmata est emigrandi libertas. Quod autem ad Calenbergensem et Grubenhagensem principatum attinet, vtriusque ciuibus per expressam legem d. d. 3. Mensis Maii 1753 <sup>t)</sup> concessum est ius emigrandi liberum.

E 2

SIMILI-

<sup>r)</sup> *III. Scheitemantels Staatsrecht nach der Vernunft etc. Tom. 2. §. 65.*

<sup>s)</sup> *The Great Charter and Charter of the Forest, with other Authentic Instruments: By William Blackstone, Oxford MDCCCLIX. pag. 10. Magna Charta Regis Johannis ad art. XXXIII. §. 42, cuius verba haec sunt: "Liceat uniuicu de cetero exire de regno nostro, et redire salve et securae per terram et per aquam salua fide nostra, nisi tempore guerre per aliquod breve tempus propter communem utilitatem regni exceptis in priso natis et vtlagatis secundum legem regni et gente de terra contra nos gwerrina et mercatoribus de quibus fiat sicut praedictum est."*

<sup>t)</sup> *Vid. Churf. Braunschweig - Lüneburgische Landesgesetze und Verordnungen Calenbergischen und Grubenhagischen Theils in einen Auszug gebracht von Fr. Chr. Willich. Band I, voce Emigration pag. 669.*

SIMILITER libero discedendi iure gaudent ciues ducatus Wurtenbergiae, id quod deriuant ex pacto fundamentali quod iam 1514 Tubingae Ulricum ducem inter et ordines prouinciales initum, atque postea saepius repetitum ac magis magisque confirmatum est, cui etiam ad hunc diem vsque stat sua vis, quod liquet ex nouissima transactione de 1770 u).

QVAMVIS autem haec ita se habent, quis tamen est qui ignoret, harum ciuitatum statum esse incolumem et florentissimum?

### §. XXX.

*Rationes dubitandi proferuntur et refutantur.* EXPLICATIS rationibus quae pro iure emigrandi libero nullique prohibitioni obnoxio afferri poterant, iam expedita erit ea commen-tationis nostrae pars, qua dubitationes, quae sententiae nostrae op-ponuntur, diluere propositum nobis est. Dissidentes commode in duos ordines dispertiri possunt, quorum unus indistincte impe-ranti tribuit ius vetandi, quo minus a ciuitate discedatur, alter vero maiori cautione eximit certos casus, ex quibus, si adessent, efficeretur, vt aut concederetur aut prohiberetur emigratio.

### §. XXXI.

*I. Rerum qui abolute Imperanti ius tribuum prohibitionem emigracionem. aa) Ob renum subiectio nionis publicae, qui perpetuas efficiuntur.* Ac primum quidem I. F. L. Schroodt <sup>x)</sup> vrget, subiectionem ciuilem esse perpetuam, quod ex eo pateat, quod 1. subiectio temporaria non sufficiat scopo ciuitatis eademque 2. inuoluat restri-ctionem ad determinatum tempus: quae tamen non praesumatur, sed ab allegante probari debeat.

QVOAD prius, si excipimus eam emigrationem, quae a tanto ciuium numero instituitur, vt maior sit parte remanente, prouoca-mus

<sup>w)</sup> Johann Jacob Moser von der Landeshoheit in Anschung der Unter-thanen Personen und Vermögens. Francofurti et Lipsiae 1773. Cap. 22. §. 28. pag. 227 - 230.

<sup>x)</sup> Schroodt Systema Juris Publ. Uniuersalis. Bambergae 1780. Part. III. Cap. III. §. XXVIII. pag. 333.

mus ad experientiam, quae contrarium nos et saepe docuit et quotidie adhuc docet. Ut enim in Germania subsistamus, incredibilis est multitudo Germanorum, qui patriis sedibus relicis in exterris ciuitatibus cernuntur, nec tamen Germaniae ciuitatum aliqua periret.

Ad alteram rationem, et si prolixius refelli possit, fatis erit, ad ipsum Schrotii exemplum ita respondisse: subiectio perpetua inuolvit nimiam libertatis naturalis restrictionem, quae item non praesumitur, sed ab allegante probari debet.

EIVSMODI igitur rationes, quae non altius haustae sunt ex rei natura, nihil probant nec dignae sunt, quae latius perquirantur.

### S. XXXII.

ALIO argumento vtitur vir perillustris Joachim. Georg. Dar-  
jes<sup>y)</sup> ita philosophans: „Qui perfecte obligatus est, vt omnibus suis actionibus felicitatem alterius augeat, ille hac ab obligatione  
„non potest liberari sine consensu eius cui obligatus est. Quam-  
„obrem cum ciuius subiectus perfecte obligatus fit, vt omnibus suis  
„actionibus felicitatem ciuitatis, cui sit subiectus, augeat, fieri etiam  
„non poterit, vt hac ab obligatione ciuili sine imperantis consensu  
„liberetur. Ergo nec sine imperantis consensu iuste emigrare  
„poterit.”

AD haec ita respondemus: Finis primarius omnium ciuium communis in eo consistit, vt eorum unusquisque suam ipsius salutem stabiliat et amplificet. Haec est conditio, sine qua ne minimam quidem libertatis naturalis partem quisquam abiiciat. Sed pertinet quoque ad officium imperantis curare, vt ciuius hunc, quem propositum sibi habet finem, consequatur. Quae quidem omnia quum alia ratione ad effectum deduci nequeant, nisi ciues

E 3 onera

y) In Institutionibus iurispr. vniuersal. Edit. nouiss. Part. Spec. Sect. V. Cap. II. §. 740.

onera et officia perfecta quaedam ad communem utilitatem subeant, facile est intellectu, quemque, cui propria felicitas cara sit, lubenti animo praestitum esse nonnulla officia in ciuitatis salutem. Haec vero nihil aliud sunt quam media, sine quibus nulli ciuitatis membro licet finem, nempe felicitatem sibi peculiarem, promouere. Cuius itaque si ciuis non amplius in ea ciuitate, cuius membrum hucusque fuit, particeps esse potest, (alias enim nemo emigrabit) ipso iure desinat necesse est obligationes, quibus tenebatur erga remp.

SECUNDVM haec principia corruit argumentum, quod perill. Darjes opposuit libero ciuium iuri emigrandi, nec pendet eorum emigratio ex arbitrio superioris.

### S. XXXIII.

*ccc) Quia ci-  
vis sine causa  
expelli ne-  
queat.*

INSUPER hoc dubium mouetur: „ius expellendi ex parte imperantis et ius emigrandi ex parte ciuium sunt duo correlata: „jam vero penes imperantem non refidet ius expellendi ciuem sine „causa; ergo etiam ciui non supereft libera facultas emigrandi „absque consensu imperantis z).

Si liceret aequiparare imperantem hero et ciuem famulo, haec argumentatio forsan haberet aliquam veritatis speciem. Sed aliud principium querendum est, quo fundentur iura imperantis et ciuius circa dissolutionem mutui, qui inter eos intercedit, nexus.

Cvm igitur imperanti regulariter liceat, imperio et obligacionibus erga ciues abdicatis ciuitatem relinquere, et singulis ciuibus a subiectione et obligationibus erga imperantem recedere emigrationemque suscipere e regula integrum esse debet: at cum ciuibus,

nisi

*z) Hoc arguento vtitur Schrodt in System. Iuris Publ. Vniy. Part. III. Cap. III. §. XXVI. pag. 332.*

Egregie id primus refutauit Anonymus in III. Schlözers Staats-Anzeigen, Band 8. Heft 29. nr. 2. Von der Abdankung der Dienstschafft pag. 46 et 47; post eum pluribus J. I. Cella Ueber die Auswanderungsfucht etc. pag. 51 - 56.

nisi iustissima causa adsit, amouere imperantem ab imperio atque ex ciuitate expellere hand liceat, nec imperanti, nisi iustissima ex causa, cui demere ius ciuitatis eumique ex ciuitate expellere licet.

RE ita declarata, ex contractu subiectionis manant aequalia iura et obligationes in vtriusque paciscentis fauorem. Proinde non est, quod ad refellendam dubitationem adductam a mutua iurium et obligationum aequalitate, quae ex pactis descendere solet, exceptio statuatur.

§. XXXIV.

DENIQUE, faciliori negotio remoueri potest ea ratio quam opddd) ob ingratiudinem quam emigrans committeret. ponit *Cel. Scheidemantel a)*, ciuem accusans permagnae ingratitudini, si eo tempore, quo nonnihil incommodi in totius ciuitatis commodum ferendum sit, paret emigrationem, quod proderet studium proprii commodi poena obnoxium, quapropter emigrationem prohibendam esse censet. Enim uero quicunque primis duntaxat labris, vt aiunt, degustauerit iura naturalia, adeoque officia perfecta ab imperfectis dignoscere didicerit, is profecto illud ostentendi grati animi officium ad hoc posterius officiorum genus referre haud dubitat. Quod vero quum sua natura alienum sit a foro externo, ista pietatis in remp. bene de emigraturo meritam violatio poena affici nequit, nec is ob beneficia, in ipsum ab eadem collata, iure perfecto cogi potest, vt ne emigret.

§. XXXV.

DVRA erat sententia scriptorum quos modo allegauimus; non ita dura est sententia corum, qui ius imperantis prohibendi ciuium emigrationem tantopere non extendunt, vt iustae discedendi a rep. caufae ab eo negligi possint, sed potius his, modo verae sint, cedendum esse affirmant. Tales caufae sunt e. g. si ciuis in ciui-

2. Eorum qui imperanti nonni*s* ius limitatum in prohibenda ciuium emigratione concedunt.

aaa) Qui ratione habita*ingas caufae, qua ciuis emigrari*

a) *Scheidemantel's Staatsrecht nach der Vernunft etc.* T. 2. §. 62. pag. 93.

turi munitione sunt, impinguantur ius aene-  
gant ins interdicendi emigratio-  
nem.  
tate ea, quibus ad vitae necessitatem, commoditatem et iucundita-  
tem egeat, in rep. non amplius consequi possit b), si ciuitas eius  
opera vti nequeat c), si ratio perfectiorem se se reddendi non sup-  
petat, si continua laesionibus expositus sit, si reip. forma immu-  
tetur, si ciuilis libertas sublata, si sociale foedus infractum sit  
cet. d).

Nos ita sentimus: Absque causa nemo emigrabit et quam  
paucissimae sunt causae quae pro iustis non habeantur; sed aliter  
iudicabit superior, cuius interest neminem ciuium emigrare. Huic  
ipsi enim causa, ab emigraturo proposita vilis et futilis videbitur,  
quae huic tanta et tam grauis est, vt vitam suam reddat molestam  
et miseram. Si itaque scriptores quidam regulam stabilium hanc:  
ciues teneri, vt causam emigrationis imperanti aperiant, id perinde  
est ac si, vt commode dicit *Cella V. C. e)*, cui id, quod vna manu  
dederis, altera eripias. Fugit illos simplex istud prouerbium:  
Nemo in propria causa iudex esse potest. Accedit etiam illud,  
vti idem obseruat f): „saepissime res incidere posse, quas ciuiis ne  
„superiori patefaciat, metu prohibeatur. Nam saepissime causa,  
„quae ciuem ad relinquendam patriam impellit, versatur in rebus  
„ad cognatos pertinentibus, quae cum aliis communicare non vult,  
„et saepissime emigraturum inuidia persequntur aut potentissima  
„quaedam domus, aut amicus superioris, aut superior ipse.“

Quid iuuat igitur, ciuem causa idonea ad emigrandum mu-  
nitum esse, si penes imperantem est causae cognitio, nisi cum aliis  
tribuas illi ius, simulac iustum causam habeat, inuito etiam impe-  
rante

b) Joannis Christoph. Rudolph obseruationes iuris naturalis de iure emi-  
grandi et transmigrandi subditorum etc. §. 25.

c) L. B. de Martini de Iure Ciuitatis §. 282.  
L. B. de Wolff Part. VIII. §. 403. pag. 300.

d) Lampredi Iuris Publ. Vniu. Theorematá Part. III. Cap. III. §. 5.  
pag. 82 et 83.

e) Ueber die Auswand. pag. 38.

f) loc. cit.

rante emigrandi g); tum autem horum sententia cum nostra in effectu fere conuenit.

## §. XXXVI.

Qyvm salus publica suprema lex sit, iure interdicitur emigratio. Ita conclamat fere omnes h). Cui quidem rationi primo intuitu obtemperandum esse putaui; sed cum postea intelligerem, quem horrendum in modum eius colore identidem ab imperantibus, penes quos sit in singulis casibus quid reip. salutare sit determinandi potestas, singulorum hominum et ciuium iura et olim violata sint et hodieque violentur, hanc rationem curatori cognitione dignam esse iudicauit.

NON quoduis igitur reip. emolumenntum instar mensurae haberi potest, secundum quam salus publica metienda et singulorum ciuium iura violenter circumscribenda sint. Violentis enim mediis vti ad utilitates ciuitati creandas, nisi ad eam conseruandam absolute necessaria illa sint, saluti omnium et singulorum ciuium contrarium potius est, quam consentaneum, eaque commoda quae tali ratione parantur, desinunt vergere in salutem publicam. Itaque vt illud, quod ciuitati vtile sit, magis magisque promoueat, ciuitasque florentior in dies exsurgat, imperans non fungatur vicibus seueri legislatoris, nec adhibeat rationes violentas i). Alias enim

g) e. c. Rudolph l. c. §. 25.

h) v. Cocceius ad Grotium Tom. I. Lib. II. Cap. V. Prop. I. pag. 634.  
Lampredi l. c. pag. 80.  
Ickstatt l. c. §. 35.

i) "Les vertus les plus essentielles des Souverains sont la Justice et la Sageſſie. En effet, des qu'il ſe présente, dans le gouvernement des Etats quelque affaire qui demande une deliberation, il faut naturellement faire cette question: La demarche eſt elle iuste, eſt elle utile?" Sunt verba L. B. de Bielefeld in Institut. Polit. Tom. I. Cap. III. §. 34. pag. 33.

bbb) Qui ratione  
ad habitum  
publicum ius  
imperanti  
vindicant  
prohibend  
emigratio  
nem.

aaa) Genera  
tum.

enim iustitia, vna virtus, omnium domina et regina virtutum, nihil aliud erit nisi ancillula et pedissequa, quae vtilitatem speciem, quam superior dominandi captus libidine pro vera vtilitate propositam sibi habeat, sequatur. Ita, vt exemplo rem illustrem, procul dubio ciuitas magis efflorescat, si omnes ciues procreandi viribus sufficenter a natura instructi procreatiosque alendi facultibus satis idoneis a fortuna donati foeminas ducant, sed num saluti publicae conductet coelibes ad ducendum cogi? Sed rursum me conuerto ad emigrationem. Si velis, vt ciuitas splendore et potentia caput extollat, omnino id requiritur, vt augeatur ciuium numerus; emigratione autem quum vires ciuitatis infirmentur, eadem inimica est populationi adeoque potentiae ciuitatis. Itaque imperantis est prospicere, vt permagna ciuium frequentia potens sit ciuitas; quid igitur, si nonnulli vel multi sarcinulas colligunt emigrandi causa? nonne tunc vi retineri possunt ob vtilitatem publicam? minime vi retinendi sunt, id iamiam suadet ars remp. bene gubernandi *k)*; ars iusti et aequi autem prohibet, ne vtilitatis et maioris splendoris ciuitatis obtinendi causa violentur iura ciuium naturalia; et sapientiae est, malle centum voluntario-rum ciuium, quam ducenta millia coactorum imperio regere.

### §. XXXVII.

*Speciationem,*  
*nam) Grega-*  
*tum discedens-*  
*tium,*

NOTATV digna est distinctio emigrationis, quae gregatim et quae singulatim fuscipitur, cuius auctor quidem est Hugo Grotius *l)*, quem multi alii fecuti sunt, vt Huberus *m)* Ickstatt *n)*

Harp-

*k)* Joh. Heinr. Gottlob von Ipsi Grundsätze der Policeywissenschaft. ed. ada Gottingae 1759. §. 105. pag. 77 et 78.

*Ill. Schlettweiniū Archiv für den Menschen und Bürger. Tom. I.*  
*nr. I. pag. 11. Deutsche Encyclopädie. Tom. II. Voce Auswande-*  
*rung pag. 570.*

*l)* Grotius l.c. Lib. II. Cap. V. §. XXIV.

*m)* Huber l.c. Lib. II. Seft. II. Cap. I. §. 38.

*n)* Ickstatt l.c. §. XXXVII.

Harprecht o) rel. Illam ex ratione salutis publicae illicitam hanc  
 licitam esse afferunt. Nec desunt tamen qui hanc distinctionem  
 reipliant v. c. Pufendorfius p) et Cella q). Pufendorfius r) ita iudi-  
 cat: „si singulis licet pro arbitrio migrare, cur non idem liceat  
 »pluribus? — Nec ad rem facit, quod hoc modo ciuitas debili-  
 »tetur. Nam qui ius non habet me inuitum retinendi, illi non  
 »fit iniuria, si futurum aliquod commodum nondum debitum, meo  
 »discessu ipsi intercipiatur. Neque vero necessarium est, vt haec  
 »ciuitas tot myriades ciuium habeat, aut vicinis semper sit formi-  
 »danda: non magis, quam vt hic vel ille priuatus tot millia possi-  
 »deat, quorum utriusque tamen per media illicita nihil subtrahen-  
 »dum. Vnde etiam Grotii argumento parum roboris inesse vide-  
 »tur. Licet enim haec vel illa ciuitas per migrationem ciuium  
 »gregatim factam insigniter debilitetur, ac demum plane defoletur:  
 »non tamen ideo societas ciuilis inter homines penitus tollitur.  
 »Sed vnius corruptio alterius est generatio; vnius decrementa al-  
 »teri incremento cedunt. Natura quippe ciuiles esse societas in  
 »genere humano iam multiplicato voluit, sed vt haec vel illa ciui-  
 »tas perpetua florensque subsisteret, nusquam iussit.“

Qvod ad nos attinet, ex vna parte accedimus ad sententiam  
 Pufendorfii, ex altera ab ea recedimus, vti cognosci potest ex §. 46.

ETENIM emigrationes, quae magnis cateruis fiunt, plerum-  
 que quidem repugnant vtilitati reip. eiusque opibus aliiquid detra-  
 hunt; ideo vero inhiberi non possunt, cur enim, vt cum Pufen-  
 dorfio loquar, si singulis licet pro arbitrio migrare, non idem li-  
 ceat pluribus, modo ita illae non sint comparatae, vt reip. inte-  
 ritum minentur? Accidit enim interdum, vt quaedam ciuitas in

F 2

his

o) Christi. Ferdin. Harprecht (Resp. Georg. Christ. Griesinger) diff.  
 de iure subditorum emigrandi restricto. Tub. 1755. §. 6.

p) Pufendorf 1. c. Lib. VIII. Cap. XI. §. III.

q) Cella 1. c. pag. 58 et 59.

r) Pufendorf 1. c.

his vel illis locis nimium hominum numerum complectatur, ex quibus licet emigratio cateruatim fuscipiatur, nihilominus tamen resp. subsistit.

### §. XXXVIII.

bbbb) *Divi-  
tum.*

„QVONIAM iis discere non licet a ciuitate, quorum opera et studio maxime indiget ad bonum publicum promouendum, etiam si ciuium numerus abundet, per se autem patet quod intersit reip. ne diuites ac locupletes discedant, ciuitas permittere non tenetur, vt diuites ac locupletes discedant.„

ITA colligit Wolff <sup>s)</sup> et cum eo Harprecht <sup>t)</sup>, ex quo perspicere licet quantopere in abusum transfire possit illud: *salus publica suprema lex esto.* Vix opus erit ut moneam: vt iusta iurium naturalium aequalitas inter ciuium ordines regnet, primariam curam eius esse debere, qui regimen a populo sibi creditum prospere gerere intendit. Itaque idem ius quod ciui pauperi competit, et locupleti competere debet eique illud propter utilitatem publicam adimi haud potest. Diuitiarum enim pretium magna ex parte imminueretur, si propter eas ciuium libertas naturalis tam seuere circumscriberetur, quam tamen reip. intersit opulentos habere ciues. Qui potius illecebris e. c. honoribus conferendis, vti hodie fieri solet, quam vi retinendi sunt.

### §. XXXIX.

cccc) *In ali-  
quo vitae ge-  
nere alios an-  
saeillentium.*

PORRO Wolffius <sup>u)</sup>: „ex eadem, inquit, ratione liquet, ciuitati competere ius prohibendi, vt ne discedat, qui in aliquo vitae genere praeclaram reip. operam praefastare potest.“

Ex hoc exemplo paullo clarius illucebit, quanta iniustitia Wolffius vim salutis publicae in praeiudicium iurium naturalium ciuium

<sup>s)</sup> Wolff in I. Nat. Part. VIII. Cap. III. §. 404.

<sup>t)</sup> Harprecht in diff. cit. §. XI.

<sup>u)</sup> Wolff l. c. §. 405.

ciuum extendat. Dum enim affirmat, homines, qui reip. utilitates afferre possint, ad easdem ei praefendas teneri et iuste cogi, illud non cogitat, imperanti esse tot alios modos cum coactione non coniunctos, per quos ciues, quorum nemo facile sine iustissima causa relinquat patriam sedem, ad quam per ingenitum quandam amorem quisque trahitur, adducere possit, vt ne in exteris ciuitatis fed' patriae salutem ingenium et studium impendant.

§. XL.

QVAMQVM pro ciuum libero emigrandi iure sententiam tulimus, minime tamen ea excludit ius imperantis fisciendi, vt ne quisquam subditorum absque suo praescitu relinquat ciuitatem, sed mature imperantem de discessu certiorem faciat; quandoquidem reip. interest nosse ciuum numerum. Nec tamen ius est imperanti exigendi, vt emigraturi causas reddant quibus ad emigrandum impellantur, quippe quae alia ratione satis superque detegi possunt.

§. XLI.

PAVICISSIMI scriptores, qui de iure subditorum emigrandi commentati sunt, attendunt animam ad diuersitatem iurium, quae intercedit inter subditos ciues et subditos non ciues. Quamquam id mirum videatur, quum indubitatum sit, posta et agnita haec differentia subditorum diuersa iura et obligationes statuenda esse. Sed, quum satis me ostendisse arbitrer, ciibus emigrationem iure prohiberi non posse, incolarum liberum emigrandi ius multis declarare opus non esse videtur, quandoquidem illud quod licet iis qui ad maius obligati sunt, eo magis integrum esse debet iis, qui ad minus et quidem propter solam domicilii constitutionem obligati sunt. Vix et ne vix quidem opus erit, vt utr testimonii virorum celeb. x) qui expresse dum soluent quaestionem, an emigrare

F 3

grare

x) J. G. Daries im Discours über sein Natur- und Völker-Recht;  
P. Spec. Sect. V. Tit. II. §. 739.

Jeh.

grare liceat habitatoribus cuiusdam ciuitatis, separant subditos ciues a subditis non ciuibus et emigrandi libertatem quam illis competere absolute negant, his tamen libenter concedunt.

## §. XLII.

b) Si speltas ad normam pactitiam quae concernit emigracionem subditorum.

aa) Vel emigrandi libertas magis fuerit singuli subditi cum imperante ineunt. Vtrumque autem genus

az) vel omnino. semper eadem iura habet. Itaque vtroque pactorum genere confirmatur lex naturalis, quae impedit imperantem, quo minus emigrationem prohibeat.

## §. XLIII.

SED ponamus, emigrandi libertatem emergentibus certis casibus, vel ob certas causas veluti propter religionem, vti factum est pace Westphalica, pacto esse confirmatam. Nec tum quidem emigrationem prohiberi posse, sole clarius est. Sed quomodo se habet res praeter hos casus? Facile intellectu est, in ceteris casibus de quibus nil conuentum sit, repetendam esse decisionem ex principio vniuersalibus.

## §. XLIV.

AD casum oppositum transimus eum scilicet, si pacto cum Imperante initio emigrandi libertati omnino renunciatum sit. De validitate

bb) Vel sublata. Joh. Ernest. Gunner in den vollständigen Erläuterungen und Anmerkungen über das Natur- und Völkerrecht des Herrn Hofr. Daries, Stück 7. ad §. 739. Zufatz III. nr. 2. pag. 366.

Geo. Frid. Martens in primis lineis iuris gentium Europ. practici 1785. Lib. III. Cap. II. pag. 64. pag. 60.

lilitate eiusmodi pacti legitime initi non ambigendum esse arbitror, modo ne repugnet aliis grauioribus contrahentium iuribus et obligationibus, veluti curae securitatis et vitae conseruationi.

ALITER sentit *Cella y*). Is enim huius generis conuentionem destitutam esse censet vi iusta obligandi, quia talis libertatis restrictio iura hominum naturalia violet adeoque nunquam iusta euadere possit.

HAEC ratio mihi non satisfacit; ius enim domicilium mutandi neutiquam obligatione aliqua naturali nititur, cui se subtrahere fas non sit, nec humanae naturae ita proprium est, ut ei homo pacis valide renuntiare non possit.

Quae si ita se habent, Imperans iure vetat emigrationem subditorum pacto iam prohibitam.

#### §. XLV.

IAM vero expedita est ea quaestio: vtrum Imperans iis interdicere possit discessum, qui se ad determinatos casus vel ad certum tempus ut maneant in ciuitate pacto obligarunt. Potest fane; dummodo casus existant et tempus constitutum nondum praeterlapsum sit. Quod tamen nonnisi sub conditione §. antecedenti proposita statuendum est.

#### §. XLVI.

IN statu reip. extraordinario i. e. in quo anceps est ciuitatis conseruatio, eidem quoque ius est ad remedia extraordinaria, si ordinaria auxili parum aut nihil praestant, idque vi iuris eminentis. Igitur Imperans tempore belli emigrationem subditorum optimo iure prohibere potest. In id, quod mirandum est, omnes scriptores, quoseunque legi, consentiunt.

2. Aliud statuendum est  
statu reip.  
extraordinari  
o ubi subdi  
torum emi  
grationem  
prohibere fas  
est.

#### ALTER

*Cella y* l. c. pag. 60.

ALTER casus, in quo prohibitio emigrationis iusta mihi videatur, tunc accidit, si tot et tantis cateruis emigratur, vt timendum sit, ne pereat resp. Quamuis autem persuasum mihi sit, nunquam subditos tanta vix credibili frequentia patriam reliqueros esse, nisi interna reip. constitutio vel forma pessime et injustissime mutetur, aut resp. ipsa horrendum in modum administretur, (quod si accidat emigratio iusta foret!) tamen fieri potest, vt e. g. cum exteri Principes peregrinos magnis donis et praemiis propositis inuitent, ex ciuitate vicina ita gregatim discedatur, vt desperandum sit de rep. conseruanda, et si subditi bene et praecclare regantur.

TVM vero eundem reip. statum extraordinarium adesse arbitror ac tempore belli, atque imperantem subditis, qui mutatis rebus non amplius gaudeant iure emigrandi, quippe ciuitatis ruina ob creberrimam emigrationem immineat, virtute iuris eminentis iuste interdicere, vt ne in emigrando pergant reliqui.

ETENIM praesumendum est, ciues in talem legem, quam necessitas extrema, lenioribus remediis frustra exhibitis, ad conservandam remp. desideret, tacite consensisse. Denique velim cogites, Imperanti ex pacto subiectionis quaesita esse iura, quibus per uniuersalem emigrationem priuetur; quod tamen sine ipsius consensu fieri nefas est.

HAEC sunt quae habeam ad Pufendorfianas rationes (§. 37.) destruendas.

## TIT. II.

*Specialium obligationum a subditis contractarum ratio habetur.*

## §. XLVII.

1. *Parties*  
initia.  
A. *Genera-*  
*tim.*

QVODSI quis praeter nexum subiectum singulares obligationes contraxerit, v. c. aes alienum conflauerit, is nisi obligatione legitime

time dissoluta vel consensu ab altero paciente impetrato, ciuitatem relinquere non potest, ideoque, ut ne antequam obligationibus p<sup>re</sup>c<sup>on</sup>tractis satisfactum sit, discedatur, recte cauetur. Id longiori demonstratione non eget.

§. XLVIII.

OMNES qui officio s<sup>e</sup> munere publico ciuili, ecclesiastico vel b. *Specialem*, militari funguntur, perfecte obligantur, ut cum ciuitatem, cui operas hucusque praefliterunt, relinquere cupiant, eius rei antea veniam petant. Ratio quaerenda est in arctissimo eorum cum rep. nexu, qui vtriusque partis consensu, quo colligitur, dissolui non potest. His itaque imperare, ut ne ante datam veniam abeant, indubitate juris est. Atque inter omnes constat, iis qui citra dimissionem discedant, poenam desertionis non sine iniustitia infligi. An et quatenus autem dimissionem potentibus consensum recusare fas sit z), haec quaestio nos nimis longe a scopo praefixo abducet.

§. XLIX.

NEQUE eos, qui facta illicita sive poenalia sive non poenalia patrauerint, vel tantum damna aliis dederint, antequam iudicium de iis suscepsum finitum sit, e ciuitate exire posse, sana ratio docet. Quorum quidem discessum nisi dimissionem impetrauerint, non emigrationis sed potius fugae nomine appellare fas est.

z) Nouissimum scriptum quod de hac materia exstat vid. in III. *Schlötzers Staats-Anzeigen Heft. 29.* nr. I et II., pag. 3 - 48.

ll. *Alio modo.*

## S E C T. II.

*Disquirit posteriorem quaestionis partem: subditorum emigrationem circumscribere an et quatenus fas sit?*

## S. L.

I. *Generatim agitur de iure supremate potestatis restringendi emigrationem subditorum.* ABSOLVTA priore quaestionis parte, restat, vt pauca dicantur de posteriore, quae concernit restrictionem emigrationis subditorum.

REIP. multum interest, magnam habere hominum frequentiam, quoniam quo maior est subditorum numerus, eo potentior ciuitas. Vnde quilibet subditus emigrans solo discessu reip. damnum affert, etiamsi pecuniae facultatis parum secum portet. Quum autem imperantibus sit vi iuris politiae non solum animum et curas ad id aduertere, vt conseruetur resp., sed quoque vt saluis subditorum iuribus in dies efflorescat, indubium est, ei competere ius, quin incumbere obligationem prouidendi, ne subditorum numerus multis emigrationibus minuatur.

## S. LI.

I. *Speciatione in iussi re-ndis qui sequentiam:* VERVM enim vero iam supra vidimus, non valere eam consequentiam: Quia ius imperanti sit prouidendi, vt subditorum numerus supremate potestatis uti merus crescat, nec decrescat, ergo quoque ius ei esse, statim et ope ad circumviven- tiam emigra- rationem subdi- rum decrementum idonea, siue coniuncta illa cum vi siue ab ea aliena sint, siue conueniant iuribus hominum subditorumque fundamentalibus, siue aduersentur. Sed consentanea esse remedia, quibus circumscribatur emigratio, iustitiae legibus necesse est, ita vt per ea salus publica promoueatur, nec singulorum subditorum iura perturbentur et euentantur.

IAM laudabimus quaedam remedia, quibus imperans eo consilio vti possit, vt multi ab emigrando arceantur et deterreantur.

## S. LII.

§. LII.

QVEMADMODVM omnino statuendum est, ea onera, quae bona subditorum afficiunt, magis probanda esse, quam ea, quibus circumscrimitur ipsorum libertas, sic onera, quae bonis emigrantium imponuntur, minime gentium adeo dura sunt. Quodsi igitur certo censu non tamen immodico bona emigrantium in commodum reip. onerantur, id nequaquam animos ita afficiet, ac si prohibetur, ne omnino emigrent.

De fundamento gabellae emigrationis magna lis est inter eruditos. Nos sequimur illos, qui putant, censum emigrationis solui in praefitae protectionis et imminuti tributi compensationem.

QVAMVIS autem probari nequeat, ius exigendi censum emigrationis habendum esse in numero essentialium iurium supremae potestatis, ex eo tamen nondum sequitur, omnino iniuste hunc censum ab emigraturo exigiri.

Ad bona censui emigrationis obnoxia quod attinet ex principiis Iuris Publ. Univ. non liquet, quoddam eorum genus ab eodem immune esse debere.

Quodsi vero subiectum spectas, non distinguendi sunt incolae a ciuibus, sed utrique, si emigrare cupiunt, ad gabellam praestandum tenentur, quia ad utrosque idem fundamentum gabellae exigendae applicari potest. Multo minus autem iusta ratio inueniri potest, quare quidam ordo personarum veluti eruditorum eximendus sit a soluenda emigrationis gabella a).

§. LIII.

DEINDE quum ipso emigrationis facto, nisi expresso consensu Imperantis emigrans aliud sibi referuauerit, omnis nexus emigrantem inter et remp. atque Imperantem tollatur adeoque emigrans a momento emigrationis ut peregrinus spectandus sit; postea, si eum discellus

a) Facete eam in rem scriptum est in der Deutschen Encyclopädie. Band I. voce Abzugsgeld pag. 140. "Die Gelehrten behaupten, von der Nachsteuer frey zu seyu; wenn die Ungelehrten über die Nachsteuer schrieben, so würden sie dieß ohne Zweifel leugnen."

2. Edicio, ne  
ii qui semel  
emigraverint  
rurjus reci-  
piantur in ci-  
vitatem.

discensus poeniteat, resp. eiusque Imperans, vt eum denuo adsciscat in numerum ciuium vel incolarum haud tenetur. Itaque ad exemplum Ducis Wurtenbergiae b), cuius alii Imperanti libera facultas est singulari editio emigraturis manifestandi, vt semel egressi nunquam recipientur.

§. LIV.

3. Expellendis speculatoribus et emissariis.

MVLTOS homines tanta dementia capit, vt sibi persuadeant, sevit vitam beatissimam, certe longe beatiorum quam in sua patria, in alia terra esse consequuturos. Confirmatur non raro haec stolida opinio fraudibus emissariorum et speculatorum c). Iam nemo dubitat, quin id genus hominum per ea, quae moliuntur, damnum, idque tale, quale saluis subditorum iuribus euitari possit, reip. iniiciant eiusque saluti aduersentur. Quapropter Imperans neutram iniuste agit, si istos homines expelli iubet.

§. LV.

4. Optinore regimine.

OPTIME denique facit Imperans, si ita subditos gubernat, vt sub suo regimine bene beateque viuant, si vt emigrationis causas d) tollat, omnes neros intendit, si ea cura et caritate, qua paternifamilias rem domesticam administrat, remp. gerit, si illum naturalem amorem, quo quilibet patriam sedem amplectitur magis magisque inflamat ita, vt firmiter in animis insidere incipiat illud: Nulla salus extra patriam.

b) Cella l. c. pag. 18.


c) Lecto dignum invitamentum mangonis cuiusdam exhibit III. Schliözer in den Staats-Anzeigen. Band VI. Heft 22. pag. 217 - 219.

d) III. Gottfr. Traugott Wenzel in den politischen und statistischen Meynungen über die Auswanderung der Deutschen; ihre Ursachen und Mittel ihnen vorzubeugen; Dresdae 1781, sequentes emigrationis causas recenset §. 18. 22. 1. transeuntes: a) bella b) fructuum calamitatem c) indeque prouinentem annonae caritatem d) conscriptiones tumultuaris; 2. perpetuas: a) bello vastatos et ob captos homines et ablatum pecus haud excultos agros, b) ruinam internarum fabricarum earumque neglectum, c) collationem munierum publicorum in peregrinos, d) paupertatem cuius causae continentur α) multitudine dierum festorum, β) ignorantia etc. γ) cohibitione commercii cum proxime vicinis, δ) sortibus numeribus. Alias causas profert Cella pag. 8. 9. 12. 13. et 37.

Göttingen, Diss., 1786+87







1787/1 12

F R I D E R I C I H I R S C H  
G O S L A R I E N S I S

KONFERID  
UNIVERS.  
ZV HALLE

C O M M E N T A T I O  
D E  
I V R E

E M I G R A T I O N E M C I V I V I  
P R O H I B E N D I V E L C I R C U M S C R I B E N D I.

---

I N C O N C E R T A T I O N E  
C I V I V M

A C A D E M I A E G E O R G I A E A V G V S T A E

I V . J U N I I C I C C I C C L X X X V I I

P R A E M I O A R E G E M . B R I T A N N I A E A V G .  
C O N S T I T U T O

A B I V R E C O N S V L T O R V M O R D I N E  
O R N A T A .

---

*Haec sunt fundamenta firmissima nostrae libertatis, sui quemque iuris et retinendi  
et dimittendi esse dominum.*

CIC.

---

G O T T I N G A E

T Y P I S J O A N N . C H R I S T I A N . D I E T E R I C H .  
A C A D . T Y P O G R .